



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 127. Viri Apostolici in Regnum Congi a Lusitano Rege missi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

tiis. Hujus morbi caussam adscribebant nonnulli subito terrori, quem conceperat ex fulmine, quod æris campani turrim concusserat, & in cubiculum Archiepiscopi Cosentini tum Romæ agentis delapsum est. Dum interea Cardinales summum Pontificem fati functum crediderant, provide pecunias, ne prædæ paterent, in securitatis locum deferri curabant; reperta enim fuere decies centena millia nummum aureorum qui de decimis in usus belli Turcici, & Neapolitani adversus Ferdinandum collecti fuere.

Sæcul XV.  
A.C. 1490.

§. CXXVII.

*Viri Apostolici in Regnum Congi a Lusitano Rege missi.*

Cum Anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo quarto Jacobus Canus patria Lusitanus regnum Congi detexisset, Joannes Lusitaniæ Rex paulo post Consalvum Sofam cum quibusdam navibus eo decrevit, ut novas indentidem terras inveniret. Ubi is Azorium appulsus est, hujus ditionis Princeps sacrum Baptisma cupidissime suscepit, Emanuelis nomen adeptus; utque se religiosissimum mox susceptæ fidei cultorem profiteretur, in sua Metropoli Ecclesiam sub titulo S. Crucis erigi curavit. Rex Lusitanus, ut faustas hæc reli-

*Spond. ad an. 1484. n. 11. Et ad an. 1491. num. 7.*



Sæcul. XV.

A. C. 1490.

gionis primitias ad uberiores fructum excolleret, in Lusitaniæ portu tres triremes instrui jussit, ac Viros Apostolicos ad sacram expeditionem misit, adjunxitque Ductorem navium Consalvum. Ast pia hæc consilia eventus sefellit; cum enim quilibet officialium hujus classis imperium sibi arrogaret, ingens exorta est dissensio: accessit etiam ad turbarum cumulum pestis violentia, aliorumque morborum injuria, quibus complures depasti perierunt. Christi Sacerdotes, qui mortem effugerant, nil intentatum reliquerant, ut fidem in regno Congi recens plantatam stabilirent; ast Rex sese legi de unica uxore servanda subicere recusans, ad sua idola reversus est; Alphonsus vero filius ejus natu major Christi fidem, quam & ipse amplexus est, mira constantia profitebatur.

## §. CXXVIII.

*Victoriarum progressus Ferdinandi  
Arragonum Regis contra  
Mauros.*

*Marian. de  
rebus Hisp.  
lib. 25.*

Juvenis Granatensium Rex, postquam Ferdinando & Isabellæ Metropolitim dedere recusabat, haud temere urbis suæ obsidionem augurabatur; igitur hostium impetus præstolari summe periculo-